

Friedrich Menckel

**An Creditoribus Patroni Megapolitani subordinati competit Jus Venditionem
Juris Patronatus impediendi aut perfectam jam venditionem rescindendi? :
Disquisitionis ex Jure Ecclesiastico primas lineas exhibit & simul ... Johanni
Christiano Menckel ... Parenti omni quo fas est honoris ac pietatis cultu
suspiciendo Jvbilaeos Mvneris Ecclesiastici Semi Secvlaris Celebranti**

Suerini: Litteris Baerensprvngianis, [1775?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862222087>

Druck Freier  Zugang



Kl. 197(6.)
Kl. - 1976.

An Creditoribus Patroni Megapolitani subordinati
competat Jus Venditionem Juris Patronatus impediendi aut
perfectam jam venditionem rescindendi?

~~fio~~

Disquisitionis ex Jure Ecclesiastico
primas lineas exhibet & simul

VIRO ILLVSTRI AC SYMME REVERENDO
DOMINO

JOHANNI CHRISTIANO MENCKEL

SERENISSIMO DVCI REGNANTI MECKLENBURGICO
A CONSILIIS SACRIS
ECCLESIARVM AC SCHOLARVM IN CIRCULO SVERINENSI SUPERIN-
TENDENTI ATQVE PROTO - SCHOLARCHAE
GRAVISSIMO

Parenti omni quo fas est honoris ac pietatis cultu
suspicioendo

JVBILAEOS MVNERIS ECCLESIASTICI SEMI SECVLARIS CELEBRANTI

fausta quaevis gratulabundus apprecatur filius
FRIDERICVS MENCKEL.

Suerini,
LITTERIS BAKRENSPRVNGIANIS.
1775.

6
25
27

VIR ILLVSTRIS ac SVMME REVERENDĒ
PATER HONORATISSIME!

Quas hisce litteris **NOMINI Tvo** adscribere audeo, pagel-
lae, forsan prodiissent numquam, ad minimum non
hocce jam tempore, nisi pietatis gratique animi offi-
cium hodierno Die publice a me persolvendum esse, arbitra-
tus fuissim.

Contigit enim **TIBI rara** ista felicitas, ut muneris Sacri,
quod ante quinquaginta annos suscepisti, memoriam hodie cele-
brare possis; ut vivas nonmodo, sed etiam viribus nondum de-
stitutus, & animo, & corpore, pro ratione quidem aetatis, satis
bene valeas. Non leve omnino hoc esse Amoris & Clementiae
divinae specimen, est, quod demissa mente, gratoque in Deum
animo agnoscis, cum **TE** tantam annorum seriem vixitrum
esse, ob infirmam, **TE** Juvene, valetudinem, numquam cre-
dideris.

Gratulor igitur **TIBI** festivum hunc Diem, quem votivis
acclamationibus celebrare, **Antecessorum TVORVM** post Reformationem,
ut quidem Annales ecclesiastici ferunt, contigit nemini.
Gratulor & mihi, cum, data occasione, liceat publice gratiarum
cum actione testificari, quantum **TIBI** debeam, qui a primis jam
incunabulis ad hunc usque diem saepe numero ostendisti, quanta
me benevolentia amplectaris, qua propensione, Paterno affectu
ductus, me tuendum, quo favore ornandum **TIBI** suscepseris,
quantamque, occasione data, mei curam geras. Sed nolo spe-
cialiora enumerare, ne **TVA** offendatur humanitas. Opto po-
tius, ut, qui **TIBI** hunc Diem Jubilaeum fecit, omnium rerum
Dominus ac Moderator Supremus, quemque unicum Salutis no-
strae certissimum Auctorem intueri debemus, **DEVS, TE omni-**
bis, quibus quieta & tranquilla Senectus constituitur, praesidiis,
impleat; quae corporis & animi bona adhuc sperare licet, **TIBI**
fruenda concedat; ne periculo morbo affictus vigor **TE** defi-
ciat, sed novo & vegeto Sanguine roboratus juvenescas; Sero
tandem si Deo ita visum fuerit, ex hac rerum humanarum fra-
gilitate ad tranquillum aeternitatis portum appellas, summumque
quod semper coluisti, Numen, in perpetuum aeternis laudibus
celebres. Vale & Res meas in posterum quoque **TIBI** com-
mendatas habe. Dabam Suerini Sexto Nonarum Julii Anno
MDCCLXXV.

De



§. I.

De specie Venditionis juris Patronatus, quæ fit separato, cui hactenus inhæsit, fundo, & de jure, Creditoribus circa illam competente, acturus, nolo circa definitionem hujus juris, quam Compendia Doctorum juris ecclesiastici exhibent, morari, nec Operæ Pretium esse puto, originem juris Patronatus, & quæ circa illud per tot secula obtinuere yicissitudines, ex ipsis fontibus juris ecclesiastici curatius eruere, cum tanta jam adsit Scriptorum omnis ævi, hanc materiam tractantum, Series, inter quos præcipuos tantum Matthæum Stephani, Sigismundum Finkelthausum, Carpzovium, Brunneman-

A 3

num,



num, *Strykium &c.*, qui omnes antecedit, *Bæhmerum* nominare sufficit, quippe qui in specie *Jus Patronatus*, ex genuinis fontibus derivatum, & à pontificiis subtilitatibus purgatum, sistere, optimo successu studuit. Juvat tamen de modis, jus illud acquirendi & amittendi, primis Ecclesiæ temporibus usitatis, pauca eum in finem præmittere, ut, quæ de Jure hodierno Patronorum circa Venditionem iutis Patronatus dicenda, eo melius intelligi possint.

§. II.

Quod primis Christianismi temporibus *Exstructio Temporum* præcipuus modus adquirendi jus Patronatus fuerit, in eo omnes conveniunt Doctores Juris Ecclesiastici, loquor tamen imprimis de ea Christianismi ætate, in qua, pace publica Initio Seculi quarti per Constantimum Magnum restituta, templo ædificari permisum fuit, cum antea ne quidem Oratoria privata exstruere licet. Poterat tamen & his temporibus per *Dotationem templi*, jam a tertio exstructi, aut per *oblationem fundi* ad ædificandum Templum, jus quoddam præcipuum circa templum acquiri, quod postea nomine *Juris Patronatus & Compatriotatus* insigniri cœpit, quæ nominæ, primis post Christum natum Seculis, apud Christianos non in usu erant, licet res ipsa, minimum Seculo quarto, adfuerit. Hinc Compatriotatus, in Megapoli haud ignotos, originem traxisse opinor, cum, qui exstruxerat templum, non haberet, quo dotaret, vicinum forsitan divitem, ut dotem subministraret, sub promissione juris æqualis circa templum exstructum, allegeret, aliter licet sentiente Linkio in tractatu de Origine templi, Cap. II.

§. III.

§. III.

Placent admodum, quæ de Origine juris Patronatus tradidit Strykius ad Brunn. J. E. C. 8. §. 1. „ubi ædificari cœperunt templæ & multi ex privatis pio religiosoque affectu res suas Deo consecrarent, æquum visum fuit, ut, amissa proprietate rei, alii quid tamæ juris retinerent, quod pietatis ipsius singularisque in ecclesiam voluntatis perpetuum monumentum esset. Et cum antea ipse Dominus rei fuisset, post consecrationem & dedicacionem vero ipse Dominus amplius manere non posset, Patroni magis, quam Domini Appellatio ei competere visa fuit.“ Acquirebant præterea fundatores aut dotatores Ecclesiarum, jus tale præcipuum ac singulare non sibi tantum, sed simul heredibus quæ fundi Possessoribus, uti videre est ex l. 46. §. 3. & 9. C. de Epis. & Cler. ubi Justinianus Imperator potiora recenser Jura Fundatoribus circa templa & bona iis assignata, competentia.

§. IV.

Fiebat hæc Assignatio certorum reddituum ab ipso fundatore, aut tertio quodam, uti §pho 2. indicatum, vel tempore Exstructionis, ubi assignati reditus nomen *dotis* accipiebant, vel postea per oblationes devotas Laicorum, qui tum temporis *Parochiani* vocari cœperant, cum unicuique Templo pro ambitu ædificii certi fines, *Parochie* dicti, constituti essent. Tales oblationes in specie *donationes* vocabantur, uti apparet ex l. 19. ff. de Donat. Amborum dominium transibat, uti §pho præcedente ex testimonio Strykii notatum, à momento oblationis factæ in Ecclesiam parochialem, omni proprii Juris potestate Patronis denegata, &

tan-



tantum Inspectione in bona ecclesiastica cum Constitutione Administratorum iis relictā, uti constat ex Nov. 57. & 123. c. 18. vid. quoque c. 30. & 31. c. 16. q. 7.

§. V.

An quoque clericos Ecclesiis præficere potuerint? adhuc sub judice lis est. De Oratoriis privatis, quibus, antequam parochialibus Ecclesiis æquiparata, quod Seculo undecimo & duodecimo factum esse, docent Scriptores, nostras Ecclesias filias comparare ausim, nemo hoc sane inficiabitur, cum ex l. 10. C. de Hæret. id vero similiter appareat, notoque notius sit, hujusmodi oratoria privata in dominio eorum à quibus exstructa erant, fuisse, adeo ut illa suo patrimonio adscribere, partem quandam quasi Jure suo ex redditibus sibi vindicare, in divisionem hereditatis referre, ministros ad Sacra in illis peragenda vocare, & vocatos pro libitu dimittere, non timuerint, quam tamen licentiam in Concilio Cabillonensi valde restrictam esse, videre est ex C. I. X. de Jure Patron. idemque testatur Böhmer in Jure Eccl. Lib. III. Tit. XXVIII. §. XXX. Ast de templis parœcianis, imprimis si ad Seculum undecimum & duodecimum respicimus, res non adeo expedita est, cum ex multis juris Canonici textibus colligi queat, Episcopis denominationem Rectorum Ecclesiae Parochialis sibi vindicasse, cumque munus spirituale esset, nulli Laicorum, ne Patrono quidem laico, concedere voluisse. Sed nolo latius excurrere, cum extra omnem dubitationis aleam sit positum, denominationem sive præsentationem Clericorum hodie inter præcipuos juris Patronatus Effectus, merito referri.

§. VI.

§. VI.

Magis ad Scopum pertinere videtur quæstio, utrum illis Christianismi temporibus, de quibus hactenus sermo nobis fuit, emtio & venditio fuerint modi adquirendi vel amittendi, Jus Patronatus? Si de eo, quod seculo quarto, quinto & sexto juris & consuetudinis erat, quæstio est, affirmative erit respondendum, per ea quæ Spho præcedente monui. Ast plane contrarium erit statuendum, si ad seculum undecimum & duodecimum respiciamus. Nam hisce temporibus plane prohibitam fuisse alienationem Juris Patronatus ob metum vanum Simoniz, quod sit Jus non quidem spirituale in se, attamen spirituali annexum, constat ex C. 16. X. de Jure Patron. Et quamvis connivendo quasi permetterent Pontifices, ut vendito fundo, cui Jus Patronatus coheret, simul transiret jus illud in Emptorem, tamen & hoc casu ullum in id constitui pretium, nefas esse duxerunt, cum sit tamquam spirituale plane extra commercium laicorum vid. C. 5. & II. X. de Jure patron. Ast mitto explosas has subtilitates romanæ Ecclesiæ, cum hodie in terris Protestantium non tantum ubique permisum sit, emere & vendere Jus Patronatus, cum, vel sine fundo, cui coheret, sed cum, si donationem non valde usitatam excipias, fere unicus hodie superstes modus sit Jus Patronatus acquirendi. Versamur enim in Ecclesia non plantanda sed jamjam plantata; ubi reperiuntur Parochiæ limitibus suis circumscriptæ, adeo, ut nullus plane extet pagus, qui non certæ Parochiæ assignatus sit. Nemo ergo hodie per exstructionem novi templi aut per dotationem, acquires Jus Patronatus, cum constet vulgatum illud, fines Parochiæ non sunt mutandi, nisi consen-

B

tienti-



tientibus omnibus, quorum, ob onera parochialia, hodie à Parochianis præstanta, interest.

§. VII.

Quæ cum ita sint, mirandum sane esset, dogma hocce Papale erroneum, de prohibita venditione Juris Patronatus, nostro aëvo invenisse certo modo defensorem J. C. tum. Patrium magni nominis B. Manzelium, quippe qui in dissertatione Rostochii 1752. habita sub rubro de *Jure Patronatus ad Creditores & prædiorum sub hasta Emtiores, non transente, si rubro fides habenda esset, venditionem Juris Patronatus, quæ sub hasta fit, in terris. Protestantium, imprimis in Megapoli, plane locum non invenire, singularem sane opinionem, defendisse visus est. Sed, si dicendum quod res est, rubrum haud conspirat cum nigro. Tantum enim abest, ut venditet Auctor, Jus Patronatus, ab Emtore sub hasta prædii, cui cohæret, plane acquiri non posse, quod cum experientia quotidiana pugnaret; ut potius argumento non contemendo ductus, quod Jus Patronatus commercio vulgari, quoties agitur de redditibus, qui sunt in calculo, sit exemptum, & propterea inter fructifera & frugifera referri non possit, statuat, in venditione fundi, cui Jus Patronatus cohæret, non vendi in sensu stricto jus illud pro certo pretio, sed simul cum prædio vendito, quasi ejus annexum, in Emtorem habilem, consentiente Principe vi Superioritatis territorialis & supremæ Inspectionis in res ecclesiasticas, transire.*

§. VIII.

Et hæc sunt, quæ certo respectu cum B. Manzelio defensere non vereor, ea potissimum ductus ratione, quod Jus Patronatus.

¶ ¶ ¶

natus inter bona stricte sic dicta referri non possit. Bona enim
juxta Ulpianum dicuntur, quæ augent patrimonium. Quis vero
de Jure Patronatus, præprimis inter Protestantes, augmentum Pa-
tronii expectaret, cum noto notius sit, nec hodie bona ecclæ-
siastica immo parochialia, in dominio Patronorum esse, sola illis
tantummodo Inspectione relicta? Nemo saue, cui placet brevis
illa de Jure Patronatus subordinato definitio, quam tradit Manze-
lius in cit. Dissert. §. XVIII., quod sit Honor. relictus fundatori-
bus templi cum onere sub inspectione superiori. Nemo non novit
Effectum præcipuum Juris Patronatus hodierni consistere in Jure
præsentandi & vocandi Parochum sede vacante, cumque de bonis
parochialibus investiendi. Ast nulla ex hoc jure redundat utilitas
in Patronum, quippe cui haud licitum est vendere Parochiam, ne-
dam eam plus offerenti tradere, nisi crimine Simoniz contaminari,
per quamque a legibus impositam incurtere velit. Tantum enim
abest, ut hæc nundinatio in Ecclesiis Protestantium toleretur, ut
potius prima vice commissa, pena extraordinaria, repetita vero
privatione Juris Patronatus puniri soleat, uti testatur Boehmer in
Jure Eccl. Prot. Lib. V. Tit. III. §. XXVII. seqq. Introductum
propterea in multis provinciis Germaniæ, Confessioni Augustanæ
addictis, Juramentum Simoniz, a Candidatis ante Institutionem
præstandum, quo fidem faciunt, se nec Patrono, nec tertio quo-
dam, consequendi muneris faci causa, dedisse quidquam, aut pro-
misisse, aut in posterum datus esse. Nolo inficiati, prudenti
consilio hanc legem Candidatis imponi, licet in Megapoli nec in
usu sit, nec umquam, nisi omnia me fallunt, fuerit. Dolendum
tantummodo est, nec hanc medicinam curasse satis morbum hunc in
quibusdam Protestantium Provinciis valde inveteratum, cum inge-



nia malevolorum multiplices fraudes, quæ Jesuitatum Scholam
sapient, ad palliandam simoniacam labem invenerint,

§. IX.

Sed supersunt adhuc præter institutionem Clericorum Juris.
Patronatus effectus, de quibus tamen, quod augeant patrimonium
Patroni, itidem prædicati eo minus possit, cum potissimum ad Ju-
ra honorifica sint referendi. Pertinet huc, honor precum publi-
catum etiam in Megapoli usitatus, cum, qui patronum subordi-
natum agnoscunt, parochi, in precibus publicis Patronum Ecclesiæ
generali appellatione, omissis tamen cæteris titulis splendidis, Deo
commendare sint obligati. Hæc consuetudo, opinor in universa
obtinet Magapoli. An vero Conjux liberique Patroni, ut hujus
honoris participes fiant, ex observantia postulare queant, de eo
valde dubito, cum nullum mihi huc usque de hac re occurrerit
exemplum. Quæ adhuc de luctu ecclesiastico, sede honorifica in
templo, & honore sepulturæ perhibent Doctores Juris ecclesiasti-
ci, mitto ea potissimum ex ratione, cum in patria, credo, prorsus
sunt ignota, neminemque has honoris species, prærogativæ Patroni
annumeraturum esse putarem. Si his addamus, jus postulandi
Editionem rationum Ecclesiæ, Patrono absque dubio, quovis tem-
pore ita competens, ut juxta Sphum 491. transactionis Provincia-
lis novissimæ, Pastor eas in ædibus Patroni ad revidendum & mo-
nendum una cum Juratis præsentate sit obligatus, habemus, opi-
nor, potiora, quæ in Megapoli ad Jura & Emolumenta cum Jure
Patronatus connexa, possunt referri, de quibus, quod interest
pecuniarium Patronorum haud tangant, quotus quisque, credo,
largietur.

§. X.

§. X.

Restant adhuc pauca de oneribus multifariis dicenda, quæ cum Jure Patronatus connexa sunt. His eo magis molestatur Patronus, quo pauperior est Ecclesia Patronata. Maxime enim notatu digna est distinctio inter Ecclesiam dotatam & indotatam. Licet enim ante reformationem vix credam, fuisse in Megapoli Ecclesiam plane indotatam, habeo tamen experientiam testem, eas hodie haud raro occurrere. Non est hujus loci, inquirere in causas hujus mutati status, sed sufficit eum indicasse, cum dentur casus, ubi ob inopiam Ecclesiarum tantam Patroni erogare teneantur summam ex propriis fundi redditibus, ut ægre ferant, tritavos factos fuisse Ecclesiarum, prædiis adeo incommodarum, fundatores. Incumbit enim illis juxta Ordinationem Ecclesiasticam Megapolitanam fol. 140. b. onus ædificandi & reficiendi, non ipsam tantum ecclesiam, sed etiam ædes Parochi & custodis, adeo, ut æraria pauperum Ecclesiarum onere refectionis non sint molestanda. Vocantur quidem l. c. ordinationis ecclesiasticae una cum Patrono etiam Parochiani, ad onera hæc sumtibus communibus ferenda, & credo quoque, seculo superiori id fere universalis consuetudinis in Megapoli fuisse. Factum tamen est injuria temporum, & incuria Patronorum, ut Parochiani se huic oneri in multis Parochiis subduxerint, ita ut hodie, nisi speciale pactum aut indubitatam observantiam, cuius probationem sæpius Parochiani summo rigore juris postulant, excipias, juxta Sphos 499. & 500. legis provincialis novissimæ, vix, ac ne vix quidem, ad auxilia, quæ Germano Idiomate: Hand und Spann Dienste vocantur, se obligatos putent.

§. XI.

Quæ hactenus dicta, pandunt, opinor, viam, ad duplum, in rubro propositam questionem, enucleandam. Evici supra

B 3

Spho.



pho 8. me cum B. Manzelio inclinare in eam sententiam, juxta quam Jus Patronatus inter bona stricte sic dicta non sit referendum, quia patrimonium Patroni nullo modo per illud augeri potest. Quid ergo de jure Creditorum impediendi venditionem Juri Patronatus sentiam, ex hac tenus dictis constabit. Præmittendum duco, me tantum loqui de creditoribus hypothecariis, quibus fundus cum omnibus, ut vocant, pertinentiis & juribus est obligatus. Hic putant, qui affirmativam questionis propositæ tuentur, præter omnia dubitationis aleam esse possum, inter Jura, quæ una cum fundo hypothecæ nexu obstricta sunt, etiam referendum esse Jus Patronatus. Concedetur id de illis Chirographis, in quibus Jus patronatus nominati expressum, immo specialiter pignori datum, repetitur, ubi autem invenies hujus generis Chirographum? Mihi haec tenus non occurrit, & vix credo ullibi adhuc dum exstate. Inter jura vero, generatim obligata, non contineri Jus Patronatus, est, quod ex ea potissimum ratione defendere ausim, cum, ut supra jam evictum, per Jus Patronatus patrimonium Patroni plane non augeatur. Finis enim constitutionis hypothecæ est, ut Creditor de pecunia erogata securus fiat, & Creditor, quisquis ille fuerit, tantum intuitu bonorum creditisse censemur, testante Richtero in dissert. de concursu creditorum §. 17. Quia propter si de juribus, in genere hypothecæ datis, sermo est, ea tantum intelligi posse, quisque videt, quæ securitatem Creditoribus præstat possunt, quæ patrimonium debitoris & per consequens Creditorum, si possessionem realem hypothecæ nacti sunt, augent, quorsum Jura venandi, braxandi & quæ sunt alia, neutiquam vero Jura Patronatus, ob ea quæ supra §pho. 8. & 9. notata, referri possunt.

S. XII.

§. XII.

Consentit mecum B. Manzelius in dicta dissertatione §. XXIV. verbis: *qua Jus Creditorum in venditione Juris Patronatus, negamus illius veritatem. Pro pecunia quidem possunt inter voluntates acquiri etiam obseratis observandis jura, quæ nil habent in reditu*, ut loquitur textus l. 198. de V. S. pro pecunia credita autem nihil fuit obligatum quam quod ferre solet fructus. An umquam Titius sub speciali & privativa hypotheca Juris Patronatus crederet centum Thaleros? An umquam immisionem in Jus Patronatus utili: quis sibi censembit? fiat periculum & subhastetur Jus Patronatus alicujus ecclesie absque omni nexu cum prædio. Putamus ex providis rerum suarum custodibus nullos ad voluntarios esse licitantes. Jus patronatus potius ad honorem, quam ad commodum pecuniarium spectat Brunnemann. Jus eccl. 2. c. 8. §. 11. quapropter licitantes Jus Patronatus pro nihilo, vel pro appendice sterili habebunt, utilia pecuniaria inde non speraturi.

§. XIII.

Sicutii vero secundum ea, quæ Sphîs proxime antecedentibus monui, per se constat, iis tantummodo Creditoribus, quibus Jus Patronatus speciatim hypothecæ datum, licere, venditionem Juris Patronatus, absque eorum consensu factam, irritam vocare, vel potius, ut ipsis de pretio soluto, in quantum sufficit, satisfiat, postulare: attamen, antequam latius progrediāt, eruendum daxi, utrum omnibus creditoribus, sive jus contradicendi habeant, sive non habeant, reverâ intersit, venditionem Juris Patronatus contradictione impedire? Et hocce interesse plane nego, ablegans Le-

ctorem:



etorem ad ea, quæ supra Sphis 8. 9. & 10. de commodis & oneribus Juris Patronatus tractata. Ex his enim, si cum dictis B. Manzelii in Spho antecedente comparentur, patebit, deficiente interesse pecuniario intuitu Juri Patronatus, deficere simul verum contradicendi interesse, cum securitas Creditorum per venditionem Juris Patronatus, utilia pecuniaria non promoventis, nullo respectu diminuatur.

§. XIV.

Dictis quodammodo obstante videntur, quæ de aestimatione Juris Patronatus in taxatione prædiorum, testantur quidam JCti. Practici. Audiamus Schwederum in tractatu notissimo, von Gericht- und außer gerichtlicher Anschlagung der Güter p. 241. ob das Jus Patronatus mit in Anschlag zu bringen, könnte daher in Zweifel gezogen werden, weil es unter die Güter nicht zu rechnen, und unter estimable Sachen nicht gehöret. Es ist aber das Contrarium der praxi gemäss, und wird das Jus Patronatus zu 100 fl. auch 100 Thaler angeschlagen. In der Marck Brandenburg aber in matre zu 100 Thaler in filia zu 50 Thaler. Idem de Saxonia refert Finckelthaus in tractatu de Jure Patronatus C. 5. n. 15. Es werde das Jus Patronatus um 100 Gulden auch 100 Thaler estimaret. Sed audiamus quoque Manzelium dicta dissert. Spho XXVII. de hac re loquentem. Si dicamus quod res est, taxantur prædia pro ingenio, & Emotor solvit pretium pro calculo fructuum. Credimus raro Emotor aliter sensisse, quam: dass er auf das Patronat nicht eines schillings wehrt reflectirte. Ergo Jus Patronatus, quod in se est arduum, ut corollarium & instar super

superpondii, quod mercatores adjiciunt, habetur. Admodum re-
cte, arbitror, ratiocinatum esse B. Manzelium. Sicuti enim a
taxa ad verum pretium non absolute valet consequentia, ita multo
minus à taxa ad Interesse creditorum contradicendi venditioni Ju-
ris Patronatus consequentia valebit. Agedum vendat Patronus,
Jus Patronatus quovis sit pretio! Si vera fateri volumus, non
in deterius, sed in melius, per venditionem mutabit fortunam
suam. Ponamus pretium quingentorum Thalerorum, certe auge-
bit & hac pecunia Patrimonium suum, augebit per consequens se-
curitatem creditorum. Si in posterum usuras quincunes de pretio
lucraturus sit, habebit, quo eo facilius satis facere possit creditoris-
bus, habebit majores reditus, quam umquam, venditione non in-
terveniente, de Jure Patronatus habiturus fuisset. Immo libera-
tur, si ecclesia est inops, hac venditione ab onere haud parvo re-
fectionis Ecclesiae, cæterorumque ad Ecclesiam spectantium ædifi-
ciorum, poteritqæ & has impensas in utilitatem creditorum ver-
tere. Neutquam ergo appetet, e re esse creditorum, contradi-
cendi Juris Patronatus venditioni, quin potius sibi met iplis con-
trarii essent, impediendo per contradictionem Juris Patronatus ven-
ditionem, debitori suo proficiam.

§. XV.

Aliam audio objectionem; e re esse creditorum, ut Jus
Patronatus fundo inhæiens conservetur, cum docente experientia
prædium, cum Jure Patronatus faciliter Emtorem inveniat, majo-
rique pretio vendatur. Ast experientiam, ad quam provocant, in
dubium vocare non vereor, fretus Testimonio B. Manzelii Spho.

C. ante-



antecedente recensito. Cum enim *Jus Patronatus* tantum ad honorem spectat, commoda vero pecuniaria inde non sunt exspectanda, valde dubito, an Emptor, qui tantum pro suo interesse pecuniatio est sollicitus, per *Jus Patronatus*, fundo vendendo inhærens, magis ad emendum invitetur, &, sterilis hujus appendicis gratia, majus pretium solvat. Omnia largiti videor, si utrumque concedam de venditione *Juris Patronatus*, in casum, si Ecclesiæ ærarium nullo premitut ære alieno, & ad conservandum templum ædesque parochiales subsidia e redditibus suppeditare possit. Rarissimas autem esse in Megapoli hujus modi Ecclesias, Patronum subordinatum agnoscentes, nemini ignotum esse puto, qui statum ecclesiasticum patrium non ignorat.

§. XVI.

Evici haec tenus, creditorum, cuiusmodi sint ordinis, plane non interesse, venditionem *Juris Patronatus* contradictione impedire. Quid ergo, si Patronus, ipsis inconsultis, *Jus Patronatus* vendiderit? Valet utique contractus venditionis, adeo, ut tantummodo creditores, si qui sunt, quibus *Jus Patronatus* specialiter obligatum est, ut sibi de pretio soluto satisfiat, postulare queant, uti jam supra §. 13. concessi. Fluit enim hæc obligatio Patroni ad solvendum illis pretium acceptum ex natura hypothecæ specialis, uti ex Jure notum est. Quapropter existimo, hujusmodi creditores fundatam, ut ajunt, habere intentionem specialem hanc hypothecam persequi, nec ut debitorem prius excutiant, compelli posse, quod ex Nov. 112. Cap. I. §. ab hoc autem, probari potest, licet multi dissentiant cum Struvio in *Jurisprud. Rom. Germ. for.*

Lib.

Lib. 2. Tit. 35. §. 20. Ast cæteri creditores ne quidem solamine consueto, protestatione scilicet, juvabuntur, venditione jamjana perfecta, immo per traditionem consummata, cum protestatio supponat jus contradicendi, quod tamen illis competere, ut credam, de me non possum obtinere.

§. XVII.

Ast concedamus, citra præjudicium veritatis, posse Creditores hypothecarios Jus Patronatus inter hypothecata referre, nihilominus tamen valebit venditio hujus Juris, etiam inconsultis creditoribus, facta. Emotor enim contraxit cum domino, cui liberum circa rerum suarum administrationem arbitrium, nec ablatum est, nec auferri potest, dummodo habeat, quo Creditoribus suis satisfieri possit. Nec enim tam rigidum esse quemquam oportet, aut nexum hypothecarium tam late extendere, ut statuat, quamvis alienationem per eum impediri. Quis enim creditor debitori suo non obstante, venditionem proventuum fundi, aut quotumvis mobilium & se moventium prohibere potest, licet hæc omnia sub generali nexu hypothecario comprehendantur, majoraque commoda pecunaria debitori suppeditent, quam ullo tempore de Jure Patronatus, ob ea, quæ supra §phis 8. & 9. evicta, possunt exspectari. Quapropter, qui cum hujusmodi possessore Juris Patronatus contraxit, Emotor, admodum securus esse potest de pretio soluto, nec timeat creditorum, rescissionem contractus, & revocationem Juris Patronatus venditi minantium, innocuas murmurations.

€ 2

§. XVIII.



§. XVIII.

Etenim me non fugit, posse, quæ inconsultis creditoribus alienatæ sunt, hypothecæ, ut ita loquar, pertinentia, actione hypothecaria à creditoribus persequi, id quod ex Tot. Tit. ff. de pignor. Act. constat. Ast, non permiscat Emptor Juris Patronatus hujusmodi tela, cum in exceptione excussionis satis firmum præsidium inveniat. Per hanc satis cognitam exceptionem rigor Juris pristini in Nov. 4. C. 2. temperatus est, quippe qua lege sanctum, actionem hypothecariam contra tertium possessorem sive totius, sive partis cuiusdam hypothecæ, moveri plane non posse, nisi prius debitor, immo mortuo eo, heredes ejus, actione personali conventi, & excussi fuerint. Quæ quidem exceptio ob L. 2. C. de pignoribus etiam in eo casu locum habet, quando possessor rei, in generali pignore comprehensæ, a creditore, qui, & hypothecam generalē, & specialem habet, actione persequitur, itidemque hunc producit effectum, ut possessor propter rem generaliter pignori datam, priusquam hypotheca specialis frustaneo effectu excussa fuerit, tutissimus esse possit.

§. XIX.

Quæ ad hocce privilegium, possessoribus pignorum & hypothecarum adimendum, inventæ sunt variae Machinationes in transitu tantum tangendæ, cum ad scopum non pertinere videantur. Referunt huc renuntiationem hujus beneficij Excussionis, ad quam nonnulli creditores debitorem suum adiungunt. Quid enim hoc

hoc ad bonæ fidei possessorem partis hypothecæ? Neutquam puto, per tales renuntiationem exceptionis excussionis, quæ, quod probe notandum, non debitori, sed tertio justo possessori hypothecæ competit, eique à lege tributa est, huic jus suum adim posse, quin potius legem 47. ff. de regulis Juris hic locum inventire existimo, qua sancitum, alterum alterius beneficia renuntiando tollere non posse.

§. XX.

Aliter vero sentiendum putant quidam Jcti., si debitor obstat partem hypothecæ vendiderit. Distinguunt tamen, nec immerito, utrum imminente concursu, an eo iam tempore, venditio intercesserit, ubi venditor adhuc solvendo erat? Posteriori casu venditionem utique subsistere putant, cum superveniens & alienum venditioni antea jam perfec^te, & per traditionem consummatæ, obesse nequeat: Leyser Med. ad ff. Spec. CCCCXIV. Med. I. Priori casu iterum distinguunt, utrum alienatio in fraudem creditorum a debitore facta, emtorque fraudis conscius fuerit, nec ne? Si illud, Leges concedunt creditoribus Jus revocandi alienationem, vi actionis ex Lege Pauliana, salva tamen actione hypothecaria, certe pinguiore, sive Emotor fuerit unus ex creditoribus, sive tertius, dummodo allegent & probent fraudem à parte Emotoris commissam, vid. L. 6. §. 8. ff. quæ in fraudem credit. vid. quoq. Leyser in Medit. ad ff. Spec. CCCCXCIV. Med. XV. & XVI. Quam quidem probationem fraudis, præprimis,

fi.



si Emtor non unus ex creditoribus fuerit, & tale pretium solutum, quod valori rei emtæ æquale est, immo illum antecedit, difficultam esse, quotus quisque videt, cum levidensibus iudiciis & præsumptionibus non absolvatur.

§. XXI.


Si, quæ tribus præcedentibus §phis de Jure Creditorum, circa revocationem rerum, hypothecæ nexus sibi obligatarum, & a debitore venditarum, dicta, ad venditionem Juris Patronatus applicentur, patebit, eum, qui bona fide à debitore non obæato emit, citra ipsius præjudicium creditoribus venditoris sui concedere posse, Jus Patronatus, inter jura sterilia, ipsis sub hypotheca generali obligata, esse referendum. Nihilominus enim valet venditio Juris Patronatus, poteritque Creditores, opposita Exceptione Excussionis, ad venditorem suum alegare. Si vero perfecta, immo jam consumata venditione, se cum venditore obæato contraxisse animadverterit, non quidem Pauliana attamen hypothecaria actione molestari posset, quam vero in venditione Juris Patronatus, excepto tantummodo casu, si Jus Patronatus in Chirographis non solum expresse nominatum, sed specialiter pignori datum sit, locum non invenire, ego quidem ob ea, quæ supra §phis II, 12. & 13, notata sunt, puto.

§. XXII.



§. XXII.

Multa addi possent; Sed sufficient hæc pro instituti ratione. Sufficient amicis Lectoribus. Si, quæ a communi recedunt opinione, tractaverim, certe me non cupiditas rerum novarum allexit: Si erraverim! quid inde? non est articulus fidei, quem obfuscare studui. Dixi, quæ de hac materia dicenda putavi.



29. Dez. 1862



constituti , juxta ANTHON FAB. in
o. Tit. 29. Def. 10. vocantur Clarissimi.
K. Vol. 3. Cons. 144. n. 13. æqviparantur No-
TIRAQVELL. De Nobilitate c. 26. n. 11 di-
mè meriti. COTHMANN. Rep.
neliorem ducere vitam , qvam
atores. CARPZ. Lib. 3. Rep. I n. 30
ibus Advocati nomen tribuitur
titulis, non dicam de illis,
in supplicatum auffseten können/
icuntur Advocati, rectius, Vdhn-
s, sed de illis tantum qvi in nu-
rum qvidem recepti, suo tamen
funguntur. Temporis & pagel-
on permittit, accuratè omnia re-
us pertractare, qvænam ad offici-
. bene meriti Advocati reqviran-
n dicam : Advocatus , anteqvam
dam sulcipit , fundamenta ejus
debet, si enim qvam scit injustam
n in progressu talem esse reperit,
est, nisi in malo sensu , Clarissimus,
simè de Rep. meritus , conscienc-
litantium pecuniam in eorum
ò commodum perdidit ; Sed nec
vis justa titulos superius adductos
ati , qui causam non fideliter per-
sæ, non conscientiæ habent ratio-
ot aliquando petuntur dilationes
lam litem , dà bekämpft dan der
ne Frist - Bitte 163. abzuschreiben
wid

